

contingit, cum ex duabus sit vna: non enim dicitur altera earum extingui: sicut in exemplo domus per contrarium adducto, cum scilicet ex duabus sit vna; non enim dicitur alteram earum, aut vtramque, per conjunctionem extingui. Iuxta hæc ergo dici potest Regias Schedulas in casibus dictis non loqui, & cum odiosas dispositiones sint, non esse verba ad sensus minus favorabiles pertrahenda iuxta vulgaria iura, & Doctorum obuia axiomata, de quibus præsertim Valascus in *Axiomatibus Iuris Lit. O. n. 12.* & hæc quidem sententiam istam verosimilem ostendunt, vt si Regiis Prætoris placeat, possint sine scrupulo eidem se in casu contingentia conformare: pro contraria autem iam vidimus quot & qualia fundamenta succurrant. Pro subiectione autem vnius Prouinciæ ad alteram de nouo inducta, non est cur debeamus quæstionem mouere, cum nullo modo in Regiis Schedulis inueniatur expressa, etiam si demus eam Iure prohiberi: quia non omnia Iure prohibita Regiis Schedulis prohibentur, quando pro illis privilegia extant. Sic enim in multis est cernere, quæ passim impetrantur, & de quibus Nos *Titulo 12.* ob rationem sapius redditam, quod scilicet communi Indiarum bono incommodare nequeant, sed commodum sint potius allatura.

### Casus peculiaris.

Ubi de recurso Resolutio respondens præposita in Titulo quæstioni.

68. **P**roest ille in præfata doctrinâ fundari, & circa Prouinciarum innoationem accidere; si Patentibus non registratis vnio aut diuisio fiat, & sic consequenter Prouincialium electiones. Tunc ne Regia Prætoria tolerare id poterunt, aut Prorex vtiens Omnimoda, quæ illi pro raris & implicauentibus competit, id, quod est factum, ratum habere: quod si renuant, aut contradicant aliqui? quid si & Regij Magistratus? quomodo est res adeo difficilis componenda? Circa quam

Dico primò, iuxta dicta *num. 63. & seqq.* acta esse valida; quia non est solidum fundamentum vnde possint infirmari, interueniente auctoritate supremorum Prælatorum.

69. Dico secundò, Regios Ministros posse factum tolerare, & Indiarum Consilium de sic actis admonere. Ratio est, quia inualidatio Capitulum; & nouorum celebratio grauius inconuenientia continent, & non sine scandalis accidant: nec credendum est Reges Piissimos & Religiosissimos tanto cum dispendio Religiosi status suas velle Schedulas obseruari. Sic scimus multa in Regiis ac supremis probata Consilia, quæ non erant ordinariæ gubernationi conformia, quia eam oportuit iuxta circumstantiarum occursum variari. Sic etiam nouimus Episcopum sine Executorialibus contra expressam prohibitionem Cancellariæ Regiæ consecratum, circa Pontificiale officium nequiquam impeditum, cum tamen per legem Regni executionem Bullarum, quæ non sunt in Consilio Cameræ præsentatæ, & confirmationem præsentati à Rege

continent, non esse permittendam caueatur. Pro quo & facit id, quod ex Metiano præclaro Iurisconsulto obseruat D. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 2. Cap. 7. num. 29.* & in *Politica pag. 301. s. Annue no. Conuenit à veces disimular algo, por no lo turbar y embarazar todo.* Sic ille adducens alios Mexicanos doctrinam illustrantes.

70. Dico tertio, Praxis Omnimodæ in Proregibus necessaria non est, iis stantibus, quæ dimus, quia & vbi illi non sunt, stare illa potest, & Regiæ Audientiæ arbitrio ista disponi. Et quidem si Audientia factum sustinendum iudicat, satis apparet non esse ad Omnimodam recurrendum. Si verò secus sentiat, & Proregis iudicium iudicio Auditorum aduersetur, velique suo iure vti, poterit equidem, iuncta prærogatiua Prætorii, & consilio aliorum instructus, quia res huiusmodi opinabiles semper sunt: & tunc parendum ipsi, neque ab Auditoribus obstitendum, iuxta ea, quæ habet Dom. Solorzanus *suprà & Cap. 4. num. 76. & Lib. 4. Cap. 10. num. 3. & seqq.* & in *Politica pag. 279.* in fine & *Lib. 5. Cap. 13.* circa initium, quæ in hoc casu, & similibus magis vrgent.

71. Dico quartò, si post celebrata Capitula Patentes colligantur, & earum executio prohibeatur, quoad forum interius id stare poterit, quod dictum *Affert. 1.* & etiam quoad exterius, si stare illud possit sine periculo turbationum, quod erit difficile, quia non deerunt delatores, & cedere oportebit propter metum Iudæorum. Cum ergo res ad priorem statum in hoc foro reuocanda sit, & sic noua celebranda Capitula, tunc quidem ad sedandas conscientias Prælati ante collectionem Patentium electi vices suas nouiter electis attribuent: ita vt, si Prouincia diuisa fuerat, duo tunc electi Prouinciales vni postea electo; si vnica duæ vnus tunc electus duobus tamquam delegatis omnem suam conferat potestatem, quantum de iure communi ac speciali Religionis conferre potest, & sic resolutionem vltimam ex transmarinis partibus expectare. Quod si nouiter electi legitimos se Prælatos esse contendunt, & sic aliorum nolint agere substitutos, videntur certè in eo grauius peccare, quia ea, quæ ad forum conscientiarum spectant, eo pacto in multis dubia redduntur, & communi damno non occurrunt modo conuenienti & facili, in quo periculum subest nullum. Non deerunt autem qui censeant in eo grauius peccare, quia probabiliter proceditur, iuxta dicta de valore actorum post Patentium collectionem, quem sunt qui negent, contententes talem esse supremorum Prælatorum voluntatem. Vide *n. 65.*

72. Dico quintò, Si collectis Patentibus post Capitula celebrata, elapsum sit tempus, quod in Religionibus ad eorum est celebrationem præfinitum, habent enim fixos & inuolabiles dies, tunc Religio quæuis ad sua statuta recurrat, & videat quinquam iuxta illa sit Prælati futurus, vt Regiarum Audientiarum decretis morem gerant. De quo idem est quod de Prouincialibus dicendum, de quibus *Affertione præcedenti.*

73. Dico sextò, Si controuersia aliqua inter Religiosos circa casum nuper propositum habeatur, dum plures sibi ius ad prælationem competere iuxta sua statuta contendunt, res non de-

bet

bet ad Regiam Cancellariam deferri, vt videtur manifestum. Quis enim laicos iudices Ecclesiasticorum iurium iudices esse constituit? Ibi certè de facto non agitur, sed de iure; vt esset illud commune periculum, de facto agi, & non de iure aut proprietate. Sicut & aliud de restitutione spoliati, quæ quidem non raro contingitur, & à iudicium omnium Iudice, qui falli nequit, irridetur. Quid ergo faciendum? Eligantur arbitratore, & Compromissarij, qui esse possunt eiusdem aut alterius Ordinis Religiosi, vt apud P. Thomam Sancium videri potest in *Opere morali Lib. 6. Cap. 13. num. 60. & seqq.* Immo & sæculares probi, & bonæ famæ, iuxta Lezanam *Tomo 4. Summae, verbo, Recusatio, num. 8.* qui & videndus *Verb. Exemptio* pro damnatione recursum huiusmodi *num. 16. & 17.* etiam Malderus, Portel, & Soula illos admittant, cum superior non adest, aut non vult Religiosum defendere, grauiamen iniustum patientem. Et generaliter recursum per viam violentiæ probat cum aliis Leander *Parte 4. Tractat. 3. Disput. 14. Quæst. 13.* & eorum iudicio stetur: quod si stare nolit qui in eo victus & turbas excitet, tunc poterit Regium auxilium conuenienter implorari.

74. Dico septimò, Si collectis Patentibus ante effectum innoationis in Prouinciis, & celebratis Capitulis more solito, ad instantiam aliquorum, re iterum discussa, & nouis allegatis rationibus, illæ reddantur, atque ipsarum executio permittatur, electi debent cedere Prouinciales, quorum iurisdicatio neque in foro conscientiarum remanebit. Ratio est: quia cum reuera deprehendatur Patentes fuisse validas, & registro non indignis, ac ratione earum habeatur iurisdicatio in vtroque foro; id quod contra illarum tenorem est factum, nullum extitit, & ita nullo modo subsistere potest: neque est inconueniens acta in Capitulis irrita euadere contra formam præscriptam celebratis, quia hæc de causa Generales solent Capitula nulla & euanida declarare. Noui ergo eligantur Prouinciales, si aliud non occurrat obstaculum, vt non occursum videtur, quia propterea Patentes collectæ redduntur, & impeditis agere non occurrit tempus, iuxta vulgarem Iuris regulam, pro quo & Textus & Auctores adducunt Rodericus, Suarez *Allegat. 3.* Valascus in *Axiomatibus Iuris Lit. I. num. 22. & 23.* & Dom. Solorzanus *Lib. 2. Cap. 11. num. 52.* & in *Politica pag. 331. s. De lo qual.* Est autem valde diuersus casus ab eo, de quo in *Affert. 5.* ibi enim impediti non sunt designato à supremis Prælati tempore celebrare, sed reipsa celebrarunt, iuxta eorum præscriptum, & acta omnia valida extiterunt: vnde iuxta Religionis peculiarem formam nequeunt Capitulum aliud celebrare, sed agere vt Prælati is sit, qui iuxta proprias Constitutiones esse debet; neque ad aliud Audientiarum decreta compellent, quia id suarum partium non est; sed prohibere tantum ne valorem habeat id, quod est contra leges de registrandis Patentibus constitutum. In casu autem Assertionis præsentis Capitulum non fuit legitimum, & legitimi celebratio pariter impedita, vnde cessante impedimento potest legitime celebrari, & consequenter eligi Prouinciales: vnde ad Prælatum alium non est recursum necessarius, qui deficiente Prouinciali so-

let per statuta specialia prouideri: nec de his plura, vbi plura fortè desideret quispiam, quæ controuersias præfatas magis in speciali pertingat; sed nolum id ago, nouas in me controuersias excitare.

## AD TITVLVM III.

### Circa Caput 1. num. 4.

De obligatione Proregis ad frequentiam Confessionis.

75. **P**ro generali obligatione obvitandum periculum incidendi in noua peccata stant plures, quos adducit Diana *Parte 7. Tractat. 12. Resolut. 29.* & licet ipse cum Cardinali Lugo *Disputat. 15. de Penitentia, num. 45. & seqq.* neget: id tamen tantum statuit communiter loquendo; quia sic Cardinalis censet: vnde neuter videtur obligationem excludere, cum speciales circumstantiæ concurrunt: neque de obligatione per accidens ratione scandali loquuntur. Nec dici potest illud esse passiuum; quia cum stet sententia quamplurimum, de qua diximus, accedente sublimitate personæ ad peculiare exemplum obligatæ, plus quam passiuum est: probabiliter enim existimari potest illum esse in malo statum; suffragante insuper experientia de sic abhorrentibus Sacramenta.

### Circa Caput IV.

#### §. III.

De obligatione restitutionis pro male expensis à Religiosis.

76. **O**bligacionem restituendi in Religioso quatuor in casibus negat Hieronymus Garcia in *Politica Regulari Tractat. 4. Parte 3. Difficult. 5. Dub. 13. num. 7. & 8.* & circa duos priores non est difficultas, quia procedunt cum sine iactura famæ Religiosi aut Conuentus restitutio fieri nequit: & illorum ad instar possunt alij occurrere. Tertius est cum pecuniam turpiter expensam ab amico Religiosus accipit; tunc enim damnum nullum est passum Monasterium. Iuxta quod dicendum est, neque accipientem à Religioso ad restitutionem teneri, quia ex eo quod non restituatur, damnum speciale non resultat; nihil enim minus habet: licet Religiosus contra pauperatem peccauerit; stat enim illud non violata iustitia, iuxta præfata sententiam: quod est sanè difficile, sed in quo Auctor dictus est alios secutus: nam quod Religiosus accipit, statim fit Religionis, & ita, cum prauè expenditur, contractatio est alieni, & consequenter iustitiæ violatio. Quod & in Fratre Minore dicendum: licet enim Conuentus dominium non adquirat, vltim tamen ita habet, vt à nullo sine violatione iustitiæ possit eo spoliari: nisi fortè qui dedit, noluerit dominium, aut ius aliud à Conuentu adquiri, sed ad liberam omnino dispositionem Religiosi pertinere: tunc enim poterit distinctio illa locum habere,

habere, quia votum paupertatis ad id se potest extendere. Vt etiam de sic datis disponi nequeat, cum sit dispositio de quantitate non leui contra Prælati voluntatem, & vsus rei propriæ, tamquam propriæ: licet enim in rigore propria non sit, ita tamen ea vitur Religiosus acsi propria esset. Pro quo videndus Card. Lugo *Disp. 2. de iust. n. 50.* & Diana *Parte 7. Tract. 11. Ref. 13.* contra Caramuelé ostendens votum paupertatis non solum proprietatem excludere, sed etiam vsum contra Prælati voluntatem. Quartus, si id, quod turpiter expendit, cum licentia Prælati habebat, ita vt licite posset expendere; quia ex bonis non erat Monasterij communibus, sed ex peculiaribus elemosynis, aut hereditate. Id quod propter rationem nuper adductam, scilicet Monasterij bona propria eo pacto non defraudari, neque minus aliquid habere, venit affirmandum. Quo euentu similiter dicendum, licet prædictus Auctor id non exprimat, accipientem ad restitutionem non teneri.

77 Sed contrarium tenent communiter Doctores, ex quibus plures congerit P. Hermannus Bulembaum in *Medulla Theologiae Moralís Lib. 4. Cap. 1. Dub. 4. num. 6.* qui loquuntur cum de licentia Prælati id sit. Ex quo inferitur certius esse quando sine licentia expenditur, quæ solum est ad vsus licitos attributa: & est pro eo ita vrgens ratio, vt oppositum sit illa penitus desliturum. Quod enim de substantia bonorum Monasterij dicebatur, est sanè leuissimum; cum enim quidquid Religiosus acquirit, aut habet, Monasterij sit, distinctio illa bonorum nihil ad negotium præsens conducit, dum contra voluntatem domini alienum contrahatur, ex quo oritur restitutionis obligatio. Quemadmodum si quis aliquid subriperet ab habente Maioratum ex iis, quæ ad Maioratum non spectant, in ordine ad restitutionem impertinenter se haberet dicta diuersitas; sicut si de bonis paraphernalibus, & non dotalibus, rapina contingeret. Habet ergo Monasterium aliquid minus, quam haberet, si non sic esset turpiter distributum.

78 Nec dici potest nihil plus Monasterium habiturum, si in vsus fuisset licitos collatum; quia dum in eos non confertur, in illorum possessione est, & potest Prælatus licentiam, cum voluerit, reuocare: neque ratio illa vltèrius vrget, etiam si minus non habeat, quia obligatio restitutionis ex eo non impeditur: vnde si quis pecuniam ab aliquo, quam continuo amicis instruendo destinauerat, furaretur, ad restitutionem maneret obligatus; cum tamen transacto tempore, quod designatum erat conuiuio, nihil haberet minus, & sic alias. Video Cardinalem Lugo *suprà Disp. 3. num. 142.* viam ostendere, vt probabiliter possit dicta sententia defendi; quia scilicet Prælatus non tantum licentiam concedit ad vsus licitos, verum neque ad illicitos, quia non potest: sed generaliter auferendo impedimentum suæ contrariæ voluntatis, quæ stante, esset peccatum contra iustitiam, & quæ non stante contra illam non est. Quem adducit, & pro eo laudat Diana *suprà Refol. 22.* sicut & Machadam *Lib. 5. Parte 2. Tractat. 1. Documento 11. num. 3.* Sed habet illa, quod pace viri tanti sit dictum, plus subtilitatis, quam soliditatis: quia Prælatus nequit impedi-

mentum generaliter auferre, sed in ordine ad licitum; sicut nequit aperire portam auferendo seram, vt vnusquisque ad id, quod voluerit, egrediatur. Neque exemplum de pignore est ad rem: quia dominus pignoris eo ipso quod talis, potest generalem vsum concedere, non sic Prælatus, qui est pius & honestus administrator, iuxta peculiare obligationem status. Videri etiam potest Diana *Tract. 12. Refol. 3.* vbi pro sententia dicta eundem cum aliis adducit Cardinalem.

79 Est item nonnullorum opinio, quorum Auctor idem meminit *Parte 10. Tractat. 12. Refol. 35.* afferentium Religiosum sic expendentem peculium, non teneri ad restitutionem, eo quod numquam habeat rei cuiuscumque dominium. Quæ quidem non videtur præfato Auctori placere, vnde concludit se nolle illius auctorem esse. Sed certè, cum sententiam Hieronymi Garciae circa casum præcedentem non improbet, in puncto præfati nihil videtur nouæ difficultatis reperiri. Cum enim dicat ille non oriri obligationem restitutionis, quando erat licentia ad expendendum in vsus licitos, & habens peculium licentiam talem habeat, nihil quoad rem ipsam occurrit, in quo possit esse discrimen. Solum in ratione Assertionis diuersitas esse potest; quia prioris illa est, quam vidimus; & posterioris, defectus domini, & quoad hoc quidem merito reiciit sententia ista debet, quia cum violata iustitia sit, obligatio pro damni compensatione relinquatur, ad quod cum varij esse modi queant, parum refert quod dominium non habeatur, cum etiam eo deficiente, possit esse compensatio. Et quidem cum peculium Religioso conceditur. Sic res agitur, vt Prælatus illud concedens, ad vsus licitos eam sub conditione concedat, vt si aliter expendatur, Religiosus ab eo abstineat, quo vsque tantumdem Monasterio reddatur, quantum est irreligiosè dissipatum. Qui agendi modus, cum sit satis conueniens, reipsa intercedere credendus est. Sic ergo Religiosus à peculo non abstinens, contra iustitiam peccat, quia Religionis bona, sine licentiâ consumit. Ex quo ratio illa de domini defectu corrui.

80 Et licet dici possit abstinere ab vsu peculij non esse restitutionem, sed impletionem contractus sub eâ conditione inchoat nullius momenti est, cum iam sit quæstio de nomine: & præterea, cum compensatio damni sit, merito restitutio dici potest in contractu ipso comprehensa, iuxta conuenientem modum in eundem illum, à nobis explicatum, cui se Prælatorum voluntas videtur tacite conformare. Videatur Lezana *Tomo 2. Cap. 18. n. 33.* & *Tomo 3. verb. Beneficium, n. 20.* & *Tomo 4. verb. Ludus, num. 23.* vbi & obligationem restitutionis, inualiditatem licentiæ etiam pro ludo, & obligationem obseruandi Bullam Clementis VIII. de largitione munerum in Beneficiis etiam Indicis recognoscit. Sed verb. *Dare, num. 8.* affirmat posse licite dari à Religiosis muneribus ijs, à quibus plus speratur. Quod iurare pro dictis à nobis potest. Et *num. 10.* temperamentum Bullæ citatæ adducit ex Declaratione S. Congregationis Cardinalium, modestam, discretam, ac sine suspitione ambitionis, cum licentiâ Prælati localis, donationem approbantis. Quæ & deseruiunt pro dictis circa *Titulum 17. num. 55.*

*num. 55. & seqq.* Quidquid dicat Verricelli cum aliis, quos citat *Tomo 1. Quæst. 52. num. 12.* violatam paupertatem negans ab habente licentiam generalem in meretriciâ largitione.

81 Quæ sententia, si probabilis est, currit etiam in Fratibus Minoribus: quia licet quoad bonorum dominium alia in illis ratio sit, & in administratione immediata pecuniæ eisdem prohibita; quoad vsum tamen cum licentia Prælatorum facultatem habent penitus expeditam. Neque obstat in Decretis Capitulorum Generalium Bullam citatam Clementis vti regulam in exercitio donationum assumi, quia præter obligationem Bullæ ipsius specialiter acceptatæ; nulla alia peculiaris videtur iniungi. Et ita temperamentum à S. Congregatione adhibitum, eisdem etiam suffragatur. Nec dici vltèrius potest Pontificem habentem talium bonorum dominium esse inuitum, cum immoderatas damnet largitiones. Nam etiam Monasterium habens bonorum dominium inuitum est circa donationes huiusmodi: quia verò Prælato administratio est illorum commissæ, iuxta illius licentiam res ita dirigitur. Sunt ergo rationes dictæ valde efficaces vt donationes generaliter sint inualidæ, sed pro discrimine inter PP. Minores & alias, parum habent firmitatis, vnde docti Scriptores ita sentiunt.

#### Circa Caput item Quartum.

§. eodem num. 42.

82 **M**odus dicendi Cardinalis Lugo ex *Disp. 4. de iustitia, num. 49.* & *50.* ibi propositus, vt scilicet is, qui à Religioso accipit in donatione peccate, sed sine obligatione restitutionis, non peccet, probabilis Dianæ vsus *Parte 8. Tract. 6. Refol. 134.* sed non eum penitus videtur amplexus, solum se non audere improbare illum, vt potè viri sapientissimi, protestatus, addens tandem esse probabilem. Sed certè non erat cur se circa illum ita cautum ostenderet, cum absolute eum iam fuisse amplexus *Parte 7. Tract. 11. Refol. 39.*

#### Circa Caput Quintum.

Ubi de venditione officiorum à Proregibus, eo quod actio eligendi non sit debita, de quo *n. 46. & seqq.*

83 **P**ardi in *Selectis Lib. 1. Quæst. 18.* optime probat pro actione absolute debita quoad substantiam nihil posse accipi, licet respectu nullius determinati debita sit, & ab eo specialiter, qui purè dispensator est quales sunt Proreges & Gubernatores Indici. Videatur ille, est enim doctus vsquequaque sed, scholasticè inquam & morali doctrinâ præfertim exultus: parum enim Scholastici in alio solent genere, sæpius claudicare, vnde & tales esse solent laxiorum sententiarum inuentores. Et ridiculum quidem videtur nonnullos ex istis cernere, eximios Theologiae Principes impugnantes, & inurbane reicientes quibusdam loquentibus *Theſauri Indici. Tom. I.*

di formulis inconcinnis. Sed his per occasionem dictis, de quibus alias pro sententiâ dictâ videndus etiam Diana *Parte 6. Tract. 6. Refol. 59.* vbi generaliter idem probat contra aliquos, & specialiter de eligentibus ad Maioratum, Cathedralam, Capellam, & pauperes pro distribuendâ elemosynâ, circa quos affirmant aliqui apud eundem.

#### Circa Caput Decimum tertium.

Ubi de grauaminibus impositionum respectu Ecclesiasticorum, de quibus *§. 3. & seqq.*

84 **E**xat pro immunitate ab illis, in casibus, de quibus citatis locis, notabilis Decisio Sacræ Rotæ, quæ est vltima apud Dianam *Parte 8.* Specialiter autem approbatur praxis, de qua *§. 4.* de iuramento in fine anni: additur tamen id debere à Sede Apostolica approbari, si Cleri sit consensu recepta. Et pro ea adducitur P. Azor *Parte 2. Lib. 9. Cap. 11. §. Quinimum privilegium. Vers. In dubium vocatur. &c.* Vbi quidem hic Auctor consensum etiam Sedis Apostolicæ requirit, sed non ad praxim prædictam, benè tamen ad solutionem gabellæ. Addit tamen id, quod ad Indias videtur specialius pertinere, dum ita scribit: *Hoc enim probat solum esse rationi consentaneum, vt Romani Pontificis consensu, vel si ad eum non patet aditus, Episcopi auctoritate huiusmodi gabellam Clerici soluant, non autem solâ auctoritate laicorum &c.* Pro resolutione autem circa non reddendam amplio rem quantitatem in fine anni, de qua *num. 114.* quando voluntarius consensus extitit, quem & statuit præfata Decisio, eiusdem doctrina confert, dum nihil amplius reddendum indicat, sicut nec P. Azor, cuius sæpius laudata sententia, tum circa praxim prædictam, tum circa alia. Quidquid in contrarium teneat Verricelli *Tomo 1. 99. moral. Tract. 8. Quæst. 13.* contendens impositionem dictam non aduersari Ecclesiasticæ immunitati. Secus Leander *Par. 4. Tract. 3. Disp. 18. Quæst. 10.*

85 In casus ergo contingentia Decisio est prædicta consulenda, ex qua habetur qualecunque remouendum præiudicium Ecclesiasticæ immunitatis, siue directè illud contingat, siue indirectè; siue principaliter, siue in consequentia; & non inhærendum litteræ ac verbali interpretationi, sed magis attendendam rationem Sacrorum Canonum. Violari illam cum Ecclesiasticæ personæ quouis modo impediuntur, vel timidiore redduntur in exercitio iuris ac libertatis ipsius competentis, quod ex officialium laicorum ordinaria asperitate in munerum suorum administratione contingit, & quia illis sunt frequenter infensi &c. Pro quibus etiam aduendus pro re nata Thomas del Bene *Tomo 1. de Immunitate Ecclesiastica Tract. 5. Qui Cap. 5. Dub. 7. Sect. 13.* quæstionem præfatam de redhibitione in fine anni collectæ summæ pertractat, & cum Rota conuenit, eam tamen non citat, sed Alterio, & Duardo, & ex isto statuit interesse reddendum, si verè aliquod præcessit incommodum. Vide item